Benedicta sit SS.mæ Trinitas

Definitorium Generale Ordinis celebratum in Conventu Berestecensi Die 21ma 7bris, millesimo, 7tingentesimo 9nagesimo 5to anno

Ad previum Campane signum, omnes ad quos de jure Convenimus invocato Spiritus Sti lumine, ad Res in presenti Definitorio decidendas consedimus

Sessio 1ma

Hac nimirum die, annoq, ut supra, ad supplices Instantias Conventus nostri Lublinensis, Discutiens, matureq perpendens Venerabile Definitorium, quod prelibatus Conventus, majori adhuc, ut ad presens fert, subjicietur ruine et desolationi, ac insuper advertens, quod annuales Domus illius Proventus, pro restauratione dirutorum parietum, non sufficiant, nisi eidem subsidio Oris succurratur; Ideirco Ven. Definitorium Conventui Lublinensi benignè annuit, ut ex Cassa Redemptionis 3000 fl. pol. per modum mutui levare valeat, nec non Patri Redemptori de Suma 3000 fl. recepta, Reversales tradat, coneturq pro possibili, quantocitius mutuum acceptum restituere.

Eadem Sessione lecta sunt supplices litere Conventus nostri Theophilpoliensis ad Ven. Definitorium date, in quibus prefatus, edisserit, quod ad antecedens Ven. Definitorium Generale pretermiserit specificare unam Obligationem perpetuam, nempe Jastrzebscianam in Suma 2000 fl. pol. pro qua in anno tenebatur applicare Missas lectas 24. Quare, presenti Ven. Definitorio, denuò pro prenominate Obligationis reductione humillimè supplicat. Justum itaq Petitum Ven. Definitorium discutiendo, dictam Obligationem ad numerum Missarum juxta prescriptum Romanum reduxit

Sessio 2da et 3tia

Die 22 7bris anno. ut supra, hora 8va matutinâ, dato signo omnes ad Aulam Conventus convenimus, ibiq implorato auxilio Divino, moderati sumus nostre Residentie Szumbariensis, tum Conventus nostri Trinitopoliensis, nec non Conventus Camenecensis, onera Missarum perpetuarum, idipsumq Sessione 3tia, die videlicet 23 7bris subsequenti, horis antemeridianis, pro Collegio nostro Antecollensi, et Conventu Molodecensi fecimus. Quoniam autem Conventus noster Krzywicensis, nulla onera Missarum perpetuarum reducenda habeat; proinde contractis à principio fundationis Missarum perpetuarum oneribus, in toto satisfacere tenetur.

Sessio 4ta et Ultima

D. 24 7bris annô ut supra, media ad 9nam matutinâ, pulsato Cymbalo, ad terminandum Definitorium consessimus, premissisq de lege, et consuetudine premittendis, sequentia statuere in Domino visum fuit.

Quandoquidem onera Missarum perpetuarum, Domorum Provincie nostre Sti Joachim, in Sessione 2da et 3tia specificatarum, juxta Regulam et formam Ste sedis Apostolice Nobis prescriptam, ne latum quidem ab ea unguem recedentes, jam reduximus, quarum Reductionis Schema in Archivio Generali conservamus; ut itaq in Re tam onerosissima conscientie, omni Po

stentati

steritati caute, et tutè provideatur, Ven: Definitorium, justissimis ex rationibus sibi bene visis Sancivit, quatenus non modò, onera Missarum perpetuarum, presenti in Definitorio Sessione 2da et 3tia reducta, sed etiam illarum respective Domorum, quarum tam in Definitorio Generali annô 1794 D 12 Junii, in Collegio Luceoriensi, ac etiam in altero Definitorio Generali anno 1795 in Conventu Berestecensi celebrato, verbô, omnium nimirum Domorum Provinciæ nostræ S. Joachim, ac ipsiusmet etiam Provinciæ, onera Missarum perpetuarum reducta, ad normam, et tenorem Schematis Universalis, in Archivio Generali asservati, pro perpetua Rei memoria, in Actis Provinciæ nostræ S. Joachim, specifice, et individualiter ingrossentur.

Eadem Sessione lecta sunt Acta Visitationis Domorum Lithvanicarum, Antecollensis videlicet: Trinitopoliensis, Molodecensis, Krzywicensis et Brestensis, à P. Fre Ignatio à S. Maria de Mercede Visitatore Delegato facta. Qua in Visitatione, licet juxta Leges nostras, omnia laudabiliter peracta sint, cum tamen in illis actis nihil referatur, de quo Ven: Definitorio Generali, aliquid definiendum privativé competeret, hinc Ven: Definitorium, dicta Visitationis Acta, utpote omni ex parte legaliter facta, approbat, ac confirmat.

Postremo tandem, cum nil amplius decernendum esset, lecta sunt omnia Definitorii hujus Acta, atque subscripta die vigesima quinta mensis Septembris, millesimo septingentesimo, nonagesimo quintô anno.

Fr Stanislaus ab Assump: B.V.M.
Vicarius Grnlis mp

Fr Romanus a S. Casimiro
Definitor Grnlis Imus
mpp

Fr. Antonius a Ssmô Sacrto
Definitor Grnlis IIIus
et V. Definitorii Secretarius mp

Benedicta sit S.ma Trinitas

Definitorium Generale Ordinis celebratum in Conventu Berestecensi Die 24 Octobris Anno Millesimo Septingentesimo Nonagesimo Sexto.

Quanquam juxta expressam Sacrarum Legum Nostrarum Ordinationem, Currenti hoc Anno, Diebus elapsi Mensis Maji, Definitorium Generale Reverendissimus N. P. Vicarius Generalis celebrare in Animum induxerat, quia tamen eôtunc, P. Antonius à S.mo Sacramento actualis Definitor Generalis gravissima pressus infirmitate, postquam ex Medicorum consilio, ad thermas Gallicienses perrexerat, in citato termino nullatenus adesse potuit, quinimo /: quod majus est :/ post elapsum fere trimestre, ex iisdem thermis redux, Leopoli ad Ædes S. Nicolai P. olim à Nostris inhabitatas, fato nunquam sat deplorando, ultimum vitæ suæ clauserat diem; hanc igitur ob causam, aliasq graves occurrentias, altefati Definitorii institutio, ad præsens usq tempus differri debuit. Quoniam vero necessariam in locum Ejusdem æternæ memoriæ Patris, electionem quamprimum faciendam, Sanctæ Nostræ Leges præcipiant; neq P. Josephus à Sanctis Apostolis Minister Provincialis Provinciæ S. Joachimi Officii sui executione præpeditus, ad eandem hodiedum compareat, idcirco amotô hujusmodi Obstaculô, Visum est Reverendissimo N. Patri Vicario Generali Præsens Definitorium inchoare, prout defacto Die & Anno ut supra inchoatum est.

Sessio 1.ma

Die et Anno ut supra hora 9na matutina, facta ut moris est Convocatione ad locum solitis Consultationibus & Electionibus destinatum, Reverendissimus N. P. Vicarius Generalis, P.em Josaphatum à S.to Martino Definitorem Provincial. 2dum in suum Secretarium assumpsit, ac ab Eodem in Stuba consuetum recepit Juramentum. Tandem invocato Spiritu Sancto, Electionem Definitoris Generalis in locum pie defuncti P. Antonii à S.mo Sacramento sequenti die instituendam intimavit, moxq Cathalogum Eligibilium P. Romano à S. Casimiro Definitori Generali Primo et Patri Josaphat à S. Martino Definitori Provinciali secundo ac Suo simul Secretario porrexit.

Sessio 2da

Die Vigesima Quinta Mensis Octobris Anno ut supra congregato hora Octava Matutina cum dimidia Definitorio, habitoq Reverendissimum N. P. Vicarium Generalem inter, et alios altefatos Patres Vocales tractatu consultorio, de Persona idonea assumenda ad Officium Definitoris Generalis, non tamen præmissis /: idq ex Declaratione V. N. Definitorii Generalis Madriti Die 15 Februarii 1772 A.o celebrati :/ eligibilitatis scrutiniis, Reverendissimus N. P. Vicarius Generalis confestim Vocalibus Præsentibus ad cautelam, absolutionem à Censuris ad hunc

duntaxat

duntaxat Canonicæ Electionis effectum impertivit. Quâ impertita, et Spiritus S. Hymno cum Versiculis et Orationibus recitatis, quisq́ Juramentum à Legibus Nostris præscriptum præstitit. Porro fuere per Secreta Suffragia electi Scrutatores, nimirum Reverendissimus N. P. Vicarius Generalis, P. Romanus à S. Casimiro Definitor Generalis Primus, et P. Josaphat à S. Martino Definitor Provinciæ Secretarius Generalis, et rursum in Secretarium Scrutinii idem P. Josaphat à S. Martino Def. Prov. Secretarius Generalis, qui Omnes debito Juramento se obstrinxere. In Pronuntiatorem vero per Secreta Suffragia electus fuit Reverendissimus N. P. Vicarius Generalis. Tandem processum est ad electionem Canonicam heri propositam, atq́ Secretis Omnium Electorum Suffragiis, electus est in Definitorem Generalem P. F. Dominicus à S. Hyacintho. Postremo à Reverendissimo N. P. Vicario Generali impositum est Præceptum Omnibus in Definitorio consedentibus, ut intra spatium 24 horarum, revelent coram Ipso impedimentum, si quod forte fuerit, ratione cujus noviter electus Definitor Generalis non possit, nec debeat in suo Officio confirmari.

Sessio 3tia

Die Vigesima Sexta Octobris, Anno ut supra, dato signo hora 8va Matutina, Definitorium rursus congregatum, præmissâ Spiritus S. invocatione, nulloq́ impedimento detecto adversus electionem Definitoris Generalis, videlicet P. Dominici à S. Hyacintho, eundem plenis Votis juxta Sacras Nostras Constitutiones confirmavit.

Sessio 4ta

Die et Anno ut supra hora 3tia pomeridiana ultimo congregatū Definitorium ad solitum signum, cum nihil jam amplius ad agendum habuerit, pro celebratione alterius Definitorii, locum et tempus pro exigentia circumstantiarum bene visum, determinavit. Ad extremum lecta sunt omnia ut supra hujus Generalis Definitorii Acta, atq́ subscripta Die Vigesima Sexta Octobris Millesimo Septingentesimo Nonagesimo Sexto Annô.

Fr Stanislaus ab Assump: B.V.M.
Vicarius Genlis m.p.

Fr Romanus à S. Casimiro
Defi Gnlis 1mus
m.p.

Salvo reverentia Fr Josaphat à S. Martino
Secretarius Generalis et V. Definitorii
m.p.

Писалъ штуппа Борисъ
Штуппа